



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.26. Constantinus Catholicos persequitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

tiam adessent Romanæ. Ita Desiderius Sæcul. VIII. A. C. 756.
 sine cæde Rex salutatur. Eodem tem-
 pore Papa misso Legato aliquas Civita-
 tes, a Desiderio promissas, nimirum Fa-
 ventiam, totum Ducatum Ferrariensem,
 præter duas alias urbes recepit.

Præterea Stephanus ad Regem Pipi- Epist. 6. cod. Car. 8.
 num mittens Georgium Episcopum, Jo-
 annem Sacellarium & Fulradum Abba-
 tem, deferendas Epistolas dedit, in qui-
 bus eum de Electione Desiderii certio-
 rem facit, rogat, ut eundem tueretur, si
 promissa impleat, & celeriter ad Deside-
 rium mitteret, qui urgerent, promissa
 effectui dari. Subjungit Pontifex: *Ro-
 gamus te instantissime! ita cum Græcis
 agas, ut Fides Catholica in perpetuum
 conservetur, Ecclesia ab eorum nequitia
 liberetur, & omnia sua patrimonia ad
 sustentanda luminaria, ad alendos pau-
 peres & peregrinos recuperet. Certio-
 res nos fac eorum, quæ Silentiaro (nem-
 pe Legato Constantinopolitano) respon-
 disti, & descripta exempla litterarum,
 quas ipsi tradidisti, nobis mitte, ut ea, de
 quibus cum Fulrado inter nos convenit,
 juncta opera efficiamus.*

§. XXVI.

*Constantinus Catholicos perse-
 quitur.*

Constantini Imperatoris improbitas fa-
 tis

Sæcul. VIII. tis demonstrat, Papam non sine cau-
 A. C. 756. sa Pipinum ad ferendum periclitanti Re-
 ligioni auxilium contra Græcos extimulasse. Quippe ille urbibus Theodosi-
 poli & Melitina captis, & inde Syris Armenisque accitis, agros in Thracia excolendos dedit anno Regni sui decimo quinto, salutis septingentesimo quinquagesimo quinto; unde numerus Hæreticorum Paulinianorum (hæc Secta Manichæorum erat) non parum auctus est.

Theoph.
p. 360.

Sup. n. 7. Præterea secundum Decreta Concilii sui imagines confringebat, vel delebat, & persequebatur Catholicos, præsertim Monachos, in quos implacabili ira ardebat. Ergo Monachorum zelosissimi ex locis Constantinopoli vicinis, ex Bithynia & Provincia Prusadena collecti ad Montem S. Auxentii se contulerunt, celeberrimum prope Nicomediam Monasterium, cujus Sanctus Fundator Concilio Calcedonensi interfuerat. Tunc vero illi Monasterio præerat Stephanus, Abbas numero sextus, fama pietatis & austerrimæ vitæ notissimus. Cum Monachi ex diversis his locis ad eum venissent, ob grassantem Hæresim afflictissimum, dixerunt: *Pater mi! angustia sunt nobis undique, timemus enim, ne hujus vitæ amor, homini innatus, ad pro-dendam Religionem nos impellat.* Stephanus respondit: *Quia tres solum repe-*
 rive

v. S. Steph.
p. 447.

p. 416.

p. 415.

vire est Provincias, quas detestabilis Hæ- Sæcul. VIII.
resis non inficit, suadeo, ut in eas vos re- A. C. 756.
cipiatis. Sunt Regiones Ponto Euxino
proximæ, qua Scythiam contingunt, Cy-
prus Insula, Lycia inferior, Tripolis us-
que Tyrum & Joppen, tandem Neapolis
& Roma antiqua. Scitis, quod Episco-
pi Romanus, Antiochenus, Ierosolymita-
nus, & Alexandrinus errori Iconocla-
starum non solum Anathema dixerint,
sed etiam sæpissime datis litteris tantum
scelus Imperatoribus vehementissime ex-
probraverint, Apostatam & Hæresiar-
cham appellantes. Admodum venerabilis
& sapientissimus Presbyter Joannes Da-
mascenus, quem Tyrannus MANSUR
nominat, non cessavit eundem per litte-
ras exhortari, dicens, quod esset Hæreti-
cus manifestus, Sanctorum hostis, Episco-
pi vero ipsi subjecti essent Parasitæstri,
Gastrimargi, & mimorum spectatores.
 Plura alia adjecit Stephanus, ut anxios
 consolaretur; quibus auditis Monachi,
 qui advenerant, mœrentes orarunt,
 moxque vale ultimo dicto, in illas pro-
 vincias, sicut S. Abbas suaserat, divisi
 sunt. Itaque Monachi omnes relicta
 Constantinopoli, alii Ponti Euxini oras,
 alii Cyprum, alii Romam petierunt.

§. XXVII.